



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Quomodo ad Sacramentum Confirmationis accedendum. 9

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

CAP. V. *Populus docendus, quid velint  
externa signa.*

**P**raterea docebunt populum, quid sit, quod catechizetur baptizandus; quid reliqua solemnna, quæ Ecclesia adhiberi voluit, signent; videlicet, Cur insuffletur in faciem baptizandi, cur signum Crucis & in pectore & in fronte fiat, cur sal in os detur, cur aures & nares spuito attingantur linianturque, cur inunctio in pectore & scapulis fiat, & cur post baptismi tinctionem in vertice; denique, quid significet amictus albus, quo infans seu alius baptizatus superinduitur. quæ omnia sunt mysteriorum plena; quemadmodum Enchiridion declarabit.

CAP. VI. *Quomodo accedendum  
ad Baptismum.*

**C**um beatissimus Apostolus in Ecclesia I Cor. 14. Omnia honeste atque secundum ordinem fieri jubeat; debet Baptismus, summâ mentis, in Deum & in sacratissima quæ aguntur mysteria, intentione, & dari & accipi. Quare, quicquid hinc Susceptores seu alios adstantes avocet, procul tollendum est. Accedatur itaque, deposito omni fastu, humili spiritu, ac recta in Deum fiducia; quemadmodum I Cor. 14. accesserunt, qui Jesu parvulos obtulerunt, ut manus eis imponeret. Nam hic renuncietur satanæ, & omnibus operibus atque omnibus pompis ejus. Conveniaturque ante inter Paternos de nomine infantis; ut potius in baptismo ipso cogitetur de lucranda anima Christo, quam de retinendo nomine.

CAP. VII. *Baptismus in facie Ecclesia  
peragendus.*

**M**agna certe ratione Ecclesiasticis Patribus visum est, ut Baptismus in conspectu Ecclesiæ, in loco sacro, recipiatur; nisi tamen imminens necessitas fieri aliud suaserit. Quamobrem displicet Nobis, quod quidam fastuosi, templum Domini despicientes, ambiunt magis, suos infantes in domibus privatim baptizari. Quod deinceps, nisi necessitas id ipsum exegerit, & causâ cognitio præcesserit, indulgere nolumus.

CAP. VIII. *In Confirmationis exhibi-  
tione quid docendum.*

**I**dem, dum Sacramentum Confirmationis confertur, docebunt Vicarii Nostri in Pontificalibus, quid agatur; nempe quod illic ambiatur gratia Spiritus sancti, qua confirmatur tyro adversus satanæ tentationes roboraturque, ut, quod corde credit ad ju-

stitiam, ore quoque palam confiteatur ad salutem. Quamobrem eo communiri solet Rom. 10. Quamobrem eo communiri solet, quæ ad nequitiam proclivior est quam ad pietatem, ut ea proclivitas minuat, docilitasque ad pietatem augeatur. Omnes fideles (inquit Urbanus Pontifex Romanus) per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur: quia, cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam roboratur. De Spiritu sancto accepimus, ut efficiamur spirituales; quia animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. De Spiritu sancto accepimus, ut sapiamus inter bonum malumque discernere, justa diligere, injusta respicere, ut malitiæ ac superbiæ repugnemus, ut luxuriæ & diversis illecebris ac foedis indignisque cupiditatibus resistamus. De Spiritu sancto accepimus, ut, amore vitæ & gloriæ ardore succensi, erigere à terrenis mentem ad superna & Divina valeamus. Sed de hoc alibi latius.

CAP. IX. *Quomodo ad Sacramentum  
Confirmationis accedendum sit.*

**A**n expediat, imitari consuetudinem, qua observatur, ut, nedum adultis, sed & infantibus, detur Confirmatio, idque præmissis, hic non definimus: quanquam, quod Aureliani Concilio sancitum est, Nobis magis placuerit; videlicet, ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur Confirmationem Sacramentalem facere priusquam accesserint, quod mundi, donum Spiritus sancti mereantur accipere. Cum enim hoc Sacramentum non sit necessitatis absolutæ, convenientius & utilius dabitur, si addatur admonitiuncula. At, antequam infans supra septimum ætatis annum progressus fuerit, parum aut nihil horum quæ aguntur intelliget, ne dicamus, meminerit.

CAP. X. *Cujus sint admonendi Suscep-  
tores Confirmati.*

**Q**uemadmodum in baptismo Susceptores sunt, ita hic qui Confirmandum præsentant ac coram Episcopo sistunt; idque non admodum diversa ratione; nisi quod quidam etiam dicunt, decens esse, ut, qui nondum adversus Carnis, Mundi ac Satanæ tentationes roborati sint, per Confirmatos jam dudum, atque exercitatos sensus habentes, quibus fides Confirmandi cognita atque explorata sit, Episcopo præsententur. Quamobrem quoque admonendi sunt isti officii sui; curandumque, ut tanti Sacramenti perceptio digne ac reverenter peragatur; quemadmodum in primitiva Ecclesia observatum legitimus.

CAP.